

1. Perpetui carceris, in quo vincietur. 2. Obstinationis, *ligatis pedibus*, ut nullos affectus bonos concipiat; et *manibus*, ne bona operetur: siquidem in hâc vitâ mortali, fuit inordinatis passionibus obnoxius, et ad bona opera præpeditus. 3. Horribilium tenebrarum; quod visionis Dei clarâ luce privabitur, et iudicii lumen in illo tenebrescet; sed et corporeæ tenebræ offendentur, quando ignis ille infernalis uret, sed minimè lucebit. 4. *Ibi erit fletus et stridor dentium*: flebit damnatus, quia tanti boni jacturam fecit; et crucians malum, lacrymas exprimet irremediabiles.

## MEDITATIO LVII.

De decem Virginibus. Matth. 25.

## PUNCTUM I.

IN Ecclesiâ sunt boni et mali, prudentes et insipientes; et utriusque adventum Christi sponsi expectant, ad nuptias cum Ecclesiâ triumphante celebrandas. Fatui similes sunt, qui lampades habent, sed non oleum, ad fovendum lumen. Veritates fidei tenent, sed non caritatem; lucent exterius per opera quædam, sed internâ virtute carent; sunt integri corpore, sed non spiritu; profitentur perfectionem, à quâ longè absunt. Quidni stultus sit, qui iudicem

Fatui,  
qui?

omnia pervidentem, et præsertim interna requirentem, non aliter paratus expectat? Contraria omnia faciunt prudentes.

## PUNCTUM II.

*Moram faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.* Mora fit, quia boni et mali ferè sibi persuadent longiorem vitam, et, ut David loquitur, *annos æternos in mente habent.* Undè boni remissius vivunt, et mali peccant liberiùs; quod est dormire: *Surge qui dormis, et illuminabit te Christus.*

Item dormitio vocari potest ægritudo, aut senectus, aut alia causa disponens ad mortem; cujus imago quædam est ipse somnus. Privat enim usu delectabilium, ut mors; et quamvis repellatur, tandem obruit vigilantem. Cùm me ad somnum compono, mortis memoriam revocabo.

*Mediâ autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei: cùm minimè cogitatur, ex improviso.* Proindè hanc vocem insonare auribus meis assidue curabo. Venit autem ut sponsus, prudentibus; at stultis, ut iudex. Eandem vocem audire mihi videor, cùm ad sacram communionem accedo.

## PUNCTUM III.

Adventus sponsi. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ.* Surgent fatuæ in adventum sponsi, et quasi ex somno gravi experrectæ circumspicient seipsas.

et lampades suas ; quas stultæ deprehendent inconcinnas ad occurrendum sponso , et serò de oleo cogitabunt ; cumque irrisione mittentur ad vendentes ; qui nulli ibi erunt , quandò omnis sublata erit auxilii occasio. Ergò nunc mihi prospiciam.

Justorum  
exultatio.

At prudentes paratæ occurrent. O quàm sibi gratulabuntur ! quantâ gestient lætitiâ à visione clarâ sponsi , à complexu et osculo beatificæ caritatis , à deliciis mensæ illius. Tunc lampas cujusque lucebit centupliciter , à lumine vultûs sponsi ; et flammæ emittet sincerissimæ caritatis , redundante oleo divinæ consolationis ; sine metu , et absque periculo extinctionis in æternum.

## PUNCTUM IV.

Matth. 25. *Clausa est janua , tum prudentibus , quæ nunquam ab illâ felicitate excidere poterunt ; tum factuis , quibus nunquam patebit ingressus , objecto illo quasi pessulo inviolabili : Nescio vos. Conclusio Parabolæ est : Vigilate itaque , quia nescitis diem neque horam.*

7. 12.  
Vigilate.  
Matth. 25.  
13.

## MEDITATIO LVIII.

De Talentis. Matth. 25. Luc. 19.

## PUNCTUM I.

QUÆ sunt ista talenta ? 1. Bona naturæ , tam corporis quàm animæ. 2. Bona externa , et acquisita , ut scientiæ , officia , honores. 3. Propria fidelium , sed communiâ cum malis ; ut fides , spes , jus sacramentorum. 4. Propria justorum : Caritas et dona quibus negotiantur , et merentur sibi incrementum gloriæ. 5. Gratis data , pro ædificatione Ecclesiæ , et animarum salute promovendâ.

Dator omnium est Deus , à quo recognoscenda sunt. Dantur autem non æqualiter , sed juxta triplicem mensuram in parabolâ expressam : *Quinque* , *Matth. 25. duo* , *unum* : de quo nemo queri potest , quia nulli Deus debet , et distribuit pro sapientiâ suâ. Dat autem secundum propriam cujusque virtutem , prout videt cuique convenire , respectu finis , propter quem dantur. Finis autem est salus et perfectio , tum nostra , tum proximorum , pro cujusque viribus. Dantur enim , ut negotiemur : *Negotiamini , dum venio* : quo prohibentur duo extrema , et cessatio , et profusio. Nam utendum est talentis ; nec temerè impendenda sunt cum periculo amittendi. O Domine , da mihi , non spiritum hujus mundi , sed spiritum , qui ex

Talenta  
quinque.

Deus da-  
tor.

Matth. 25.  
13.

Dat. ut  
negotie-  
tur.

Luc. 19.  
13.

1 Cor. 2.  
12.

*Deo est, ut sciam quæ à Deo donata sunt mihi, ut illis benè utar, nec prætereat me dies sine lucro! Gratias autem agam pro acceptis; non inde superbiens, aut aliis me præponens: sed nec plura appetens, quàm ejus visum est providentiæ.*

## PUNCTUM II.

Fervore  
lucramur. Usus talentorum. Qui duo, et quinque acceperant, totidem lucrati sunt. Par industria in talentis inæqualibus: ut nemo putet, minùs sibi contendendum, quòd pauciora acceperit. Imò Lucas ait: quòd

Luc. 19.  
16 et 18. *una mna lucrata sit in alio quinque mnas, in alio decem: tantùm valet conatus; sed non sine gratiâ:*

1 Cor. 15.  
10. sicut Paulus: *Abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Piger autem talentum fodit in terram. Nec excusat, quòd cæteris minus acceperat, quia et una mna potuit decem facere. Sed contingit ut, qui minùs se habere vident, despondeant animum, ut pigritiæ se dedant; ac, si circa terrena se aliquid posse advertant, illuc omne applicent studium, posthabitis melioribus. Cæterùm: *Cui multùm datum est,*

Luc. 12.  
48.  
S. Gregor.  
Homil. 9.  
in Evang. *multùm quæretur ab eo. Cùm enim auferentur dona, rationes etiam crescunt donorum.*

## PUNCTUM III.

Matt. 25.  
19.  
Tempus  
dat Deus. Exactio rationum. 1. *Post multùm temporis instituetur: ut nemo excusari possit defectu temporis ad negotiandum; et, quia iudicium generale erat differendum.*

ferendum. 2. *Fiducia tunc boni negotiatoris, in fine nimirùm mundi vel vitæ; cùm dicere poterit: Domine, ecce alia quinque superlucratum sum.* 3. *Remuneratio: Euge serve bone et fidelis. O magnum à Deo testimonium! Bonus à vitâ; fidelis, ex usu donorum: Quia super pauca fuisti fidelis, pauca, et parva sunt, præ cælestibus quæ rependam tibi. Intra in gaudium; absorbere prorsùs gaudio, atque circumflue, inebriare ab ubertate domùs meæ, et torrente voluptatis satiare.* 4. *Eadem verba dicuntur ei, qui, duobus, duo lucratus est; quia, etsi talenta inæqualia, non item labor et industria; siquidem accepta duplicavit. Æstimatur autem meritum, ex comparatione ad gratiam, quæ fuit in utroque par. Et potuit etiam esse major cooperatio in eo qui minùs habuit, undè plus acciperet præmii; ut is qui venit dicens: Mna tua decem mnas acquisivit, factus est potestatem habens super decem civitates; qui autem quinque tantùm, totidem accepit. Vide, anima, quanti sit se venter cooperari gratiæ Dei.*

## PUNCTUM IV.

Excusatio pigri: *Scio quia homo durus es: metis ubi non seminasti. Hæ sunt excusationes in peccatis: timores fingere, et pericula. Nequaquam austerus est, sed blandus; nec metit, ubi non seminavit; imò seminans multùm, colligit ferè parùm. Objurgatio pigri sanè terribilis coram angelis et sanctis.*

DUPONT. Compend. I.

B b

*Matt.* 25. 1. Compellat *Serve male ei piger*; atque ex ipsius-  
 26. *Repre-* met verbis eum redarguit: Cogitabas me esse ta-  
*hensio.* lem; et tamen neglexisti operari? 2. Jubet *ab eo*  
 28. *Privatio.* *tolli talentum*: quod etiam in hâc vitâ contingit ob  
 desidiam; in alterâ autem irremissibiliter in perpetuum. Jubet autem dari *ei qui habet decem*; quod ablato talenti cedat in gloriam accidentalem honorum, applaudentium justo Dei judicio. 3. Ejicitur *in tenebras exteriores*. Quod si is, qui tantum non est  
 30. *Tenebræ.* usus, sic pleclitur; quid ei futurum, qui fuerit abusus ad injuriam Dei?

FINIS TOMI PRIMI.

---



---

INDEX  
MEDITATIONUM

## TOMI PRIMI.

*Introductio totius operis.*

CAPUT I. Quid sit oratio mentalis,	pag. 1
2. De modo colloquiorum,	3
3. De excellentiâ orationis,	6
4. De materiâ meditationis,	7
5. De ingressu ad orandum,	9
6. De difficultate meditandi, et distractionibus,	11
7. De extrinsecis adjumentis ad meditandum,	13
8. De examine meditationum,	14
9. De variis orandi modis,	16
10. De supplendo labore meditandi,	17
11. De extraordinariis orandi modis,	19
12. De præscribendo tempore meditationi,	23
13. De usu sequentium meditationum,	25

## I. PARS MEDITATIONUM.

*De pertinentibus ad purgandam animam à peccatis.*

Introductio,	26
Meditatio prima et fundamentalis. De ultimo fine hominis,	27
2. De triplici peccato, angeli, Adæ, et particulari,	32
3. De gravitate peccati ex multitudine, et pugnantiâ cum ratione,	37